

BAPTISTÆ
AYMI PARMENSIS
IVRISCONSVLTI
DE ALLUVIONVM
IVRE VNIVERSO.

De fluuiaticis scilicet incrementis co-
gnoscendis, acquirendis, amit-
tendis, & facillimè
diuidendis.

LIBRI TRES.



Duplicado



BONONIÆ,

Apud Ioannem Rossium. MDLXXX.

Curiæ Episc. & S. Inquisit. concessu.

Coll. Societatis SALM. EX DONO REGY.

ILLVSTRISSIMO
AC EXCELLENTISSIMO
OCTAVIO FARNESIO

PARMENSIVM ET PLACENTINORVM

DUCI II. ETC.



BAPTISTA AYMVS.




AERE illud M. Catonis animo mecum
reptens Dux Ducum optime, quod in
principio scripsit Originum suarum,
Studiosorum hominum non minus otij,
quam negotij rationem extare oportere:
ut primum in hanc nobilissimam Iu-
risciulis militiam nomen dedi, omnes neruos intendi meos,
ut nostri tyrocinij prima qualiacunque rudimenta exta-
rent; quibus apud te præcipue iustissime Princeps, qui in
nos iure, ac merito vicariam Dei auctoritatem geris, cui
& otij & negotij reddendam esse quandoque rationem om-
nibus exploratum est; utriusque prima saltem ratiocinia
constarent. atque hoc præterea modo vitae fortasse ratio-
nen iuxta Areopagiticum illud institutum à me repetenti
tibi me non inutilem prorsus in tua Republica esse ciuem
ostenderem. Quæ rudimenta licet in hoc latissimo Iurif-
ciulis campo exigua futura sint: edere tamen, & ea in tuam
venire notionem Princeps sapientissime, minimè sum veri-

BAPTISTAE AYMI
PARMENSIS
IVRISCONSVLTI.

DE ALLUVIONVM IURE VNIVERSO,

LIBER PRIMVS.



ARGUMENTVM.

¶ Alluvio ynde deducitur.

S V M M A E.

1 Alluvio ab alluo deducitur.

2 Alluere quandoque in iure accipitur pro allabendo addere.

3 Allusio accessionem, & decessionem significat.


CAPVT PRIMVM.



M N E ius ferè aut in verborum interpretatione positum est, aut æqui, prauicij discrimine. ut nobis (quod ad ipsa verba pertinet) inter cætera apertissimè reitantur tot leges in titulum de Verborum significatione congregatae; tot Vlpiani, & aliorum commentaria ad quācumplurima prætorum edicta, & interdicta, & uniuersum denique Iuris civilis corpus. ut interim Quintiliani ita distinguens auctoritatem in Institutionum suarum lib. 12. prætermittam. Iccirco de Fluuiaticis incrementis Alluvione, Alueo, & Insula tractationem aggrediēti mihi, in priuis & ynde cuiusque eorum nomen descendat, dicere operæ pretium est; & de multiplici ipsorum appellatione, & significatu differere. Sic etenim & Vlpianum ipsum, ceterosq; eius aetatis I. C. factitiale, sèpè legimus, & præsertim in


Problema 7. Propos. 12. Super datam rectam lineam infinitam à dato puncto, quod in ea non est, perpendicularem rectam lineam deducere.

Sit data recta linea infinita, sitq; illa A.B. datum verò punctum, quod in ea non est, sit C. oportet ab hoc punto super illam lineam perpendicularem ducere. Facto centro in punto C. describatur circulus G. E. secans lineam A. B. in punctis G. & E. secetur autem linea G. E. (per Propos. 10.) in puncto D. tum ducta linea C. D. super datam lineam rectam infinitam perpendiculariter cadit. quod fecisse oportuit.





Problema 10. Propos. 31. A dato puncto datae rectæ lineæ parallelam rectam lineam ducere.

Sit datum punctum A. data verò linea B.C. oportet ab hoc punto ei lineæ aliam rectam lineam parallelam ducere. Suscipiatur in ipsa B. C. contingens punctum D. & connectatur punctum vtrumque per lineam A. D. & super punctum A. constituantur angulus E. A. D. qui sit æqualis C. D. A. angulo sibi coalterno. tum ducta linea A. E. à punto extra dato erit parallela B. C. datae rectæ lineæ. quod fecisse oportuit.



Angulus porro in extremo lineæ A. D. æqualis angulo B. D. A. ita facilimè constituetur. Nam facto centro in punto D. absinduntur ex lineis A. D. & B. D. lineæ D. F. & D. G. inter se æquales. Rursum eadem circini diductione facto centro in punto A. absinduntur ex linea A. D. linea A. H. æqualis lineæ D. F. & simul describatur circulus, seu circuli portio H. I. Tum interualllo lineæ F. G. positio circini pede immobili in punto H. describatur





to. quod & in sequentibus faciam. Vitium proinde in figura Bartoli ex eo maximè deprehenditur, quando ex insula A. contra regionem agrorum Titij & Caij nata, nihil ad Titium pertinere potest, stante isto linearum ductu in directum ad frontem obliquam. Iustior est igitur nostra diuisione.

De Figura octaua.

Multò pluribus laborat erroribus octaua figura. tres autem præcipue sunt redarguendi. In primis nulla ratione nec lege, quinimo contraria inter eos. de Acquir. rer. dom. fit in ea diuisione non vñica recta linea in directum ducta, sed duabus ab eodem agri termino productis, quæ sunt lineæ A.B. & B.C. Item Latitudo prædiorū non est ad vnicam rectam lineam redacta. Tertium vitium est contra Geometricam disciplinam: nam lineam D.E. ducendam iubet: cur autem, aut qua auctoritate, quoque artificio id fieri debeat, minimè nos docet. quoddam tantummodo axioma promitt erutum ex l. insula. de Acquir. rer. dom. scilicet, *quod iurus est in eo, quod prædio primo adiicitur, idem est in eo, quod ipsi addito adiicitur*: ut eo defendat hanc suam bipartitam, & duabus vicibus factam diuisionem.

Si de t acquirendo eo, quod postea additum fuerit incremento priori, tractamus, vt in his terminis respondit Proculus in eal. insula. ibi quero, *quod accreuerit, utrum meum sit*: & ego quoque Bartolo assentior; *vt ea ratione & eo iure, quo adiectum incrementum prædio pri-*

6